



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Marcvlfī Monachi Formvlarvm Libri Dvo**

**Marculfus <Monachus>**

**Paris, 1635**

XI. Episcctola collectionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10644**

liquis mancipiis tuis facere volueris, à die præfente liberam habeas potestatem. Et quod fieri non credo, si fuerit vlla quælibet persona, quæ contra hanc venditionem, quæ ego mea spontanea voluntate fieri rogavi, aut qui contra eam aliquid agere, vel calumniam generare conauerit, illud quod repetit non vindicet, & contra cui litem intulerit, auri libram vnã, argenti pondo quinque coactus exfoluat, & hæc venditio firma permaneat.

XI. *EPISTOLA COLLE-  
ctionis.*

**N**Os quoque in Dei nomine matricularij sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius Ecclesiæ obseruanda conuenissemus, ibique infantulum sanguinolentũ, periculo mortis imminentem, panis inuolutum inuenimus, & ipsum

per triduum, seu amplius apud plures homines inquisiimus, quis scire esse diceret, & non inuenimus: cui nomen ipsum imposuimus. Sed postea pietate interueniente, & Domini misericordia opitulante ipsum infantulum homini aliquo, nomine illo ad nutriendum dedimus, vt si Deo præsule conualuerit, ipsum in suis seruitiis ac solatiis secundum legis ordinem retineat. Pro quo pretium accepimus, in quod nobis bene complacuit, valens sol. tantos. Et vt præsens epistola firmior sit, manibus propriis eam subterfirmuimus, & bonis hominibus roborandam decreuimus, secundum sententiam illam, quæ data est ex corpore Theodosiani libri quinti, dicentem. *Si quis infantem à sanguine emerit, si nutritum dominus, vel pater eum recipere voluerit, aut eiusdem meriti mancipium, aut pretium nutritor quantum valuerit consequatur.*